



OTTO natus est ex illustri familia Truckessio-
rum & baronū in Vualdburg anno 1513. Hu-
ius pater Vuilhelmus eum optimis præceptoribus
instituendum tradidit, atq; in bonarum literarum
studio eum educari curauit. Itaq; cum Otto felici
ingenio esset præditus, factum est ut æquales suos
in artium & linguarum studio facile superaret, atq;
in uirum doctissimum euaderet. Postea exteras na-
tiones uidit, atq; ob plurimas corporis & animi uir-
tutes proceribus hinc inde gratissimus extitit. In
primis uero Carolus Imperator eum dilexit, atque
inter primarios amicos habuit. Hinc factum cum
Christopherus præfus Augustanus mortuus esset,
ut Otto communi Canonicorum consensu Augustanus Episcopus eligere-
tur, Anno salutis 1543, ætatis uero suæ tricesimo. Cum autem clerus, religione
Augustæ mutata, per sex annos urbe absuisset, inter alia Ottoni iniunctum,
ut indefesso studio uideret, quò clerus in urbem reduceretur, atq; amissa loca
recuperaret, id quod ipse gnauiter præstítit. In primis autem in Pauli 3 Roma-
ni pontificis familiaritatem peruenit, atq; ab eodem 19 Decemb. Anno 1544
Cardinalis Episcopus Albanensis creatus fuit. Postea uero ut Germaniam pa-
triā exornaret, Dillingæ suæ ditionis oppido nouam Academiam instituit,
atq; eam liberalibus stipendijs propositis uiris doctissimis exornauit. Præci-
puè uero Iesuitarum ordinem dilexit, atq; eis docēdi munera ibidem commi-
sit. Quod si itaq; antiqui principes, qui hinc inde apud Germanos nouas Aca-
demias olim initierunt, passim apud scriptores celebrantur, certè nec hic
Otto sua laude frustrandus, sed meritò posteritatí commendandus erit, præ-
sertim cum plurimi eruditione & authoritate præclarí uiri ex ea Academia
prodierint. In eo loco Otto princeps saepius lectionibus interfuit, atque
in disputationib; publicis sua argumenta proposuit, & sua præsentia scho-
lam exornauit.